Vorlaender

DE MORBO NIGRO HIPPOCRATIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX DECRETO ILLUSTRIS ORDINIS MEDICORUM

IN

ALMA REGIA LITT. UNIVERSITATE BONNENSI

PRO

RITE IMPETRANDA DIGNITATE JURIBUSQUE

DOCTORIS MEDICINAE CHIRURGIAE

ET

ARTIS OBSTETRICIAE

DIE MAII MDCCCXXIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOH. DANIEL VORLAENDER,

HOMBURGENSIS AD MARCAM BORUSSUS.

BONNAE,

TYPIS BUESCHLERIANIS.

AMICIS SUIS

CAROLO EBERMAIER, Med. Stud.

DUSSELDORPIENSI

ET

CAROLO KNEIP, Med. Stud.

BERLENBURGENSI

ATQUE

FRATRI SUO Med. Doct.

WERMELSKIRCHENSI.

Auctor.

Morbus niger omnium fere morborum abdominis chronicorum est atrocissimus et periculosissimus.

Anno praeterito in oppido Wermelskirchen apud fratrem meum medicinae Doctorem commoranti, bis mihi fuit occasio, morbum hunc observandi atque curandi. Quo quidem appulsus sum, praesertim cum non magna sit copia casuum hujus morbi observatorum et descriptorum, et quum insuper methodus medendi a fratre meo meque ipso adhibita differat a plerorumque aliorum curandi ratione, ut scribendam dissertationem de hoc morbo nigro Hippocratis aggrederer.

Quod attinet ad historias dicti morbi nunc enarrandas, earum primam et secundam ipse observavi, tertiam et quartam fratri meo dilecto debeo, quippe cujus diarium praxeos, qua occupatur, medicae occasionem mihi praebuit binas hasce observationes adjungendi.

Historia morbi prima.

Petrus Arnoldus Koll, quinquagesimum sextum annum agens, sanis a parentibus genitus, rusticus atque inde a juvenili aetate rebus frumentariis mercaturam faciens, pallidus, corporis habitu magno, gracili et

tenero, fibra sicca, temperamento melancholico-sanguineo utens, variolas atque alios infantiles morbos bene nulloque incommodo relicto perpassus, simplicem rusticae vitae victusque rationem observare suetus, neque Baccho neque Veneri deditus, atque ab annis viginti sex in matrimonio feliciter vivens, fere continuo, excepta narium haemorrhagia ipsi adhuc juveni aliquoties superveniente, nec non febre catarrhali, ante triginta annos vaenaesectione ac ciborum abstinentia intra sedecim dies curata, optima fruitus est valetudine. Ante decem annos ortae sunt diarrhoea et emesis, refrigerio et fatigationibus inductae, quae remediis drasticis tractatae, animi atque sensuum deliquium post se duxerunt. Post sextum diem quametsi plane ab his malis liberatum se existimaret, nihilominus abdominis et ventriculi passiones ab eo tempore nunquam dissipatae sunt; mox abdominis, mox dorsi doloribus, in regione epigastrica atque hypogastrica, tum alvi obstructione, appetitu depravato, tum doloribus colicis, tum infarctuum et morbi hypochondriaci symptomatibus laboravit. Quae affectiones, quamvis vehementia earumque perduratio mutarentur, atque diaeta non fuerit aliena, tamen ex corporis fatigationibus et refrigeriis semper denuo redierunt. Propterea ante tres annos auxilium petiit a fratre meo, qui resolventibus remediis, salibus neutris, mellagine graminis, taraxaci, asa foetida atque aliis multum levamen praebuit quidem aegroto, sed non radicitus morbum ipsum sanavit. Sanitate meliore gaudentem ante sex menses dolor

sinistrae regionis hypochondriacae invasit perpetuus, ut neque noctu propter hujus partis dolores dormire, neque inter diu negotiis suis vacare, neque erectus sedere potuerit.

Die *octava* Julii h. a. cum post meridiem frater advocaretur, patientem videndi mihi occasio sese obtulit. Nobis interrogantibus, heri, ait, sese viribus vacillantem aegrum sensisse, atque ex lassitudine inter ambulandum collapsum esse in agro. Ab uxore sua brachio adjutus domumque ductus vespere cerasa cocta comedit, et tum per plures horas bene dormivit. Hodie e lecto surgenti, vertigo, sapor amarus, angustia circum praecordia, extremitatum tremor et frigor, intestinorum tormina, lassitudo et debilitas totius corporis supervenerunt. Vomituritio accessit, et mox vomitus cruentus, diarrhoea involuntaria, et lipothymia, adeo ut uxor sua aliique ipsum jam mortuum habuerint. Materia per os et alvum excreta fuit nigra, et pici similis, foetidissima, quatuor circiter librarum pondus aequans, faecibusque mixta. Pulsum inveniebamus parvum et celerem, decimo quarto vel decimo quinto ictu intermittentem, linguam albam, muco obductam, extremitates rursus calentes, memoriam rerum imbecillem, susurrum aurium, vertiginem, vires exhaustas. Lipothymiae, ex qua post quadrantem horae expergefactus erat, non amplius testes eramus, sicut etiam materiae excretae et ob foetorem ex hypocausto ablatae non nisi reliquias nigras in linteis conspiciebamus. Intestinorum tormina et levia deliria interces-

serunt. Quanquam fieri potuisset, ut ex cerasorum nigrorum, quem diximus, comesu potius quam ex morbida quadam intestini affectione alvi illa excretio nigra ortum duxerit, omnia tamen alia symptomata talem insontem materiem indigestam non subesse, sed re vera morbum nigrum adesse indicarunt.

Abdomen totum manu pressum debilius et sensibilius fuit; praesertim regionem hypochondriacam sinistram tangendo dolores atque anxietates productae sunt; nec non indurationem quatuor digitorum spatio in regione lienis tactu sentire potuimus. Ob virium vitalium debilitatem magnam, et ad praecavendam sanguinis secretionem excessivam, sequentem dedimus medicinam:

Rec.: Mixtur. sulph. acid. Scrup. unum. Spirit. acetico-aether. Scr. dimid. Syr. aurant. Unc. unam

M. d. s. omni hora cochlear parvum sumendum; et praeterea ad usum externum:

Rec. Liniment. ammoniat. Drachm. sex. Camphorae. Tinct. Opii simpl. aa Dr. dimid.

M. d. s. Leniter inungendo abdomen, praecipue ad sedem doloris fixi lateris sinistri.

Die 9. Julii. Hodierno, secundo morbi die, vires vitales parum auctae; dolor sinistri lateris fixus lenior; pulsus debilis, rarius intermittens. Nec vomuit, nec sedes habuit; urina parca; tormina ventris interdum cum inflatione adfuerunt.

Ut eadem medicamenta continuarentur, atque enema ex infuso florum Chamomillae lacte parato

addito sale culinari et oleo olivarum applicaretur, ordinavimus. Post horam faeces duras multas conglobatas mixtas atro foetidoque sanguine, per alvum excretas, aqua tepida infundi jussimus; quae colore tincta est rubro, nosque hesternae diagnoseos verae certiores fecit.

D. 10. *Julii*, tertio morbi die, vires invenimus fortiores, pulsum non amplius intermittentem, linguam muco parco obductam, ciborum appetitum adhuc depravatum, somnum noctu quietiorem, dolorem lateris sinistri mitiorem. Emesis atque alvi excretio non adfuit. Ad resolvendum leniterque adstringendum scripsimus:

Rec. Summit. millefolii Dr. tres. Rad. valer. minor. Dr. duas. fiat infusio aquosa; colet. et liquori colato Unciarum quatuor adde: Kali tartaric. Extr. tarax. ana Dr. tres, Aquae Lauro - Cerasi Dr. tres et dimid. Syr. cort. aurant. Unc. unam.

M. d. s. omni bihorio cochlear unum sumendum.

D. 11. *Julii*, quarto morbi die medicina praescripta religiose usus, tres habuit sedes faecium induratarum atro-sanguine adhuc obductarum; omnibus symptomatibus morbi antea urgentibus nunc mitioribus factis ejusdem medicinae omni trihorio cochlear sumsit, quamvis ob virium debilitatem in lecto erectus sedere non posset.

Die 15. *Julii*, s. octava morbi, aegrotum denuo visitavimus. Per tres dies somnus noctu sensim sensimque reficiens, dolor lateris sinistri interdum vel premendo vel movendo rediit; ciborum appetitus me-

lior; erecte sedere potest in lecto, attamen vertigo atque abdominis imbecillitas eum ex lecto manere non sinunt. Quovis die semel vel bis alvi excretio adfuit faecium conglobatarum, hodie autem faecium pultacearum et mollium, cum vitello ovi, quod ederat, mixta non digesto. Nigredo et foetor enormis excrementorum cessavit. Pulsus regularis et debilis. Induratio in lienis regione nondum plane abest, sed diminuta.

In primis sex diebus morbi patiens nihil ciborum assumsit, sed sitis adfuit, ideoque aquam, theam viridem, aquam hordei, cum aliquot vini guttis bibit. Heri et hodie primum decoctum oryzae, avenae excorticatae, vitellum ovi molliter cocti, atque solani tuberosi tubera in aqua cocta cum appetitu sumsit. Tormina ventris et dolores vix atque rarissime sensit.

Die 16. *Julii.* Quum abdomen molle esset, sanguinis excretio cessasset, vasaque, ex quibus sanguis profluxerat, nunc clausa essent, atque debilitas corporis totius, intestinorumque abdominalium praesertim perduraret, praescripsimus:

Rec. Cort. Peruv. gross. pulv. Unc. dimid. Magnes. ustae dr. unam et dimid. Stent in digest. c. aqua ferv. per. hor. tum colet. et residuo. Unc. quatuor adde Mixt. sulph. acid. Dr. duas. Syr. cort. aurant. Unc. unam.

M. d. s. singulis binis vel ternis horis cochlear unum sumendum.

Dolor fixus atque induratio lateris sinistri quum nondum funditus transiissent, dedimus ad hunc locum inungendum:

Rec. Ungt. Hydrarg. ciner. dr. duas. Ungt. Rorismarini comp. Unc. dimid.

M. d. s. ter de die applicetur.

Vicesimo Julii. Decimo tertio die morbi patiens nos in fratris mei domicilio, quod ab ejus domo quadrantem horae distat, visitavit. Pallidus adhuc erat atque imbecillis, pulsus regularis, lingua sordibus pura, cibos antea dictos cum appetitu sumit atque bene digerit, coffeam cum euphoria bibit, somnus quietus. Omnia symptomata dolorosa cessaverant, excepto sensu dolorifico lateris sinistri ex tactu percipiendo, quanquam ab induratione liber esse videretur, atque omnes excretiones rite procederent.

Vicesimo quarto Julii. Ne autem infarctus vel succorum stagnationes in liene antea indurato vel in intestinorum cavitatibus relinquerentur, idoneum duximus sequens praescribere:

Rec. Aqu. menth. pip. Unc. quatuor. Kali tartaric. Extr. Graminis aa. dr. sex. Extr. taraxac. Unc. dimid. Syr. aurantior. Unc. unam.

M. d. s. ter in die cochlear haur.

Decimo tertio Augusti, sive morbi die tricesimo septimo, aeger denuo ad nos redux effatus est, se per tres hebdomades antecedentes bene comedisse, omnes excretiones regulariter prodiisse, neque sanguinem neque faeces conglobatas, neque cibos indigestos in faecibus adfuisse, unum tantum diem obstructione, aliquoties post sumta pira diarrhoea sese affectum fuisse. Carnem vitulinam et bovinam, tubera solani

tuberosi, ova, legumina hortensia aliaque bono cum appetitu comedit et bene concoxit. Dolorem sinistri lateris non sentit, nisi manu fortiter locus prematur; vires vitales hoc modo cibis atque somno refectae erant. Ordinavimus, quod sequitur:

Rec. Asae foetid. Dr. unam. Kali sulphuric. Rad. rhei opt. aa. dr. dimid. Extr. Aloes gr. sex. Extr. Centaurei min. q. s. ut f. pil. pond. gr. duor. d. s. ter in die quatuor pilulas sumat.

Tunc jussimus, ut cibis concoctu difficilibus abstineret et vinum rubrum bonum biberet. Mense Septembris fratri meo dixit, sese omnibus morbi symptomatibus liberum esse, atque valetudine meliore, quam antea, gaudere.

Historia morbi secunda.

Die quarto Junii h. a. die, cum fratre meo visi viduam nomine *Brügger*; eamque inveni feminam triginta novem annorum, corporis habitu gracili et tenero praeditam, in juventute morbos tantum exiguos perpessam. Indea vicesimo anno nupta cauponi, alacriter semper negotia domestica perfecit, jucundoque consortio cum marito vixit. Septem peperit infantes, quorum natu maximus septemdecim ad minimum habet annos. Catamenia ipsi semper fluebant regularia, sicut etiam puerperia cuncta optime succedebant; nullo sanitatis detrimento relicta. Atque novissime vix quatuordecim elapsi erant dies, ex quibus mensium fluxus prorsus naturalis solito tempore adfuerat.

Maritus ejus, per aliquot annos ascite affectus, ex paracentesi instituta atque remediis aliis adhibitis interdum in integrum restitutus esse videbatur; attamen ascite propter hepatis vitium denuo semper revertente, diem obiit supremam ante tres annos. Hic mariti amatissimi morbus et mors uxoris moerentis, antea sanae, valetudinem primum subverterunt. Etenim inter sperandum atque metuendum plures annos degens vitae, omnes curas et labores circa res domesticas in se susceperat femina, ac simul vigilias multas mariti sublevandi causa passa erat aeque assidue ac fortiter. Mortuo autem marito illius spes omnis fugit, atque aegritudines hystericae, cardialgia, cephalalgia, virium decrementum, appetitus depravatus, anxietates praecordiales, dolores et tormina ventris, moeror etc. ab hoc tempore eam vexare non desierunt. Negotia quidem domestica non neglexit, et quia vitae periculum non adfuit, guttas antispasmodicas, liquorem anodynum etc. interdum ad dolores atroces sedandos adhibuit, neque auxilium medicorum, ut morbo sanaretur, implorare voluit. Hinc factum est, ut per sex mensium spatium, etsi dolor hypochondriacae sinistrae regionis perseveraret, atque capitis et abdominis dolores eam saepius vexarent, remedia nondum fuerint adhibita. Quae hic praemisi, Anamnestica, ex muliere, quum convalesceret interrogavi, atque historiae morbi nigri, quam nunc descripturus sum illustrandae causa praeposui.

Aegrota et adstantes nobis octava hora matutina advenientibus haec exposuerunt: Vespera hesterni diei decima hora emesis invasit, statimque ex alvo quoque materia nigra, foetidissima excreta est, cum animi deliquio. Alterius diei hora matutina quarta rursus haec materia iisdem symptomatibus alvo excreta est, cujus copia, duas circiter mensuras aequans, matulam implevit. Urina itidem nigricans parca et foetida apparuit.

Nunc vomituritio apparuit, ita ut quovis momento emesin et syncopen provocare ipsi videretur. Pulsum filiformem et intermittentem vix sentire potuimus; lingua muco albido obducta fuit; vires exhaustae, ut neque in lecto se erigere, neque erecta sedere posset; somnus inquietus, minutis quinque vel decem interruptus; murmurabat verba, quae intelligi non poterant.

Nobis adstantibus, emesis ipsi rediit, qua bilis, pituita et aqua, sed non materia nigra, eiiciebatur, quae tamen mox per alvum excreta cum foetore ingente nigerrima aquam tepidam affusam colore rubro tinxit. Post hanc excretionem manus ac pedes frigidi facti sunt: pulsus sentire vix potuisset, atque animi deliquium sequutum, ita ut post horae demum quadrantem loquendi facultas rediret, pulsusque celer ac debilis sentiretur.

Noctu siti multa vexata bibit aegrota aquam cum saccharo et vino pauco, quae ut continuaretur ordinavimus, aeque ac ut omnia frigida sumeret, et a

colloquendo abstineret; ciborum appetitus abfuit. Praescripsimus:

Rec. Tinct. Cinnamomi Unc. dimid. Mixt. sulph. acid. Scr. unum. Syr. aurantior. Unc. unam.

M. d. s. Omni hora cochlear parvum hauriendum.

Abdomen molle erat, neque ob magnam debilitatem in tangendo, nisi quum a digito fortius premeretur, dolorem aliquem percepit. Hypochondrii sinistri dolor quoque mitis adfuit. Hinc jussimus, ut lintea abdomini imponerent madefacta cum liquore, ex Spir. angel. comp. et Acet. aromat. partibus aequalibus parato.

Ad bibendum dedimus potum aquosum decoctum ex Rad. alth. et gramin. aa. dr. tribus Hb. salviae et flor. Chamom. rom. aa. dr. duabus.

Quinto Junii, tertio morbi die, emesis non amplius venit; per alvi excretionem unciae fere octo atri sanguinis exierunt semel, atque postea bis faeces pituitosae conglobatae. Vires vitales quum auctae essent, ut eadem medicina eodemque potu ad bibendum utatur, praescripsimus.

Septimo Junii, quinto morbi die, omnia symptomata meliora invenimus; urinam antea ex nigro purpuream et parcam mutatam in flavam et largiorem; somnum quietum, ciborum appetitum revertentem, vires multo refectas, linguam in radice tantum albidam. Heri fuit sedes faecium mollium sine sanguine et materia nigra admixta; spasmi et dolores cessarunt.

Hodie administravimus Elect. e Senna Unc. unam, cujus omni quadrihorio parvum cochlear alternatim sumendum jussimus cum infusionis ex Millefolii summitat. Dr. vj paratae Unc. quatuor, cui addita erant:

Mixt. sulph. acid. dr. semis. Tinctur. cinnamom. Unc. semis. Pro victu jus gallinaceum et bovinum, ova mollia et parum leguminum, nunc suasimus

Undecimo Junii, nono scilicet morbi die, morbi symptomata fere omnia cessavisse invenimus; secretiones et excretiones naturales factae: iam ad negotia levia in hypocausto perficienda aegrota redire coepit; lecto jam ex aliquot diebus non amplius adfixa; cum oblectamento cibos appetiit, et cum euphoria eos concoxit; dolores haud amplius sensit. Corroborandae valetudinis causa dedimus:

Rec. Tinct. Chinae comp. Tinct. Cort. aurantior. aa.

M. d. s. cum vino rubro ter in die guttas quinquaginta sumat.

Vicesimo Junii, morbi die decimo octavo in domo sua visimus aegrotam exclamantem: gaudeo, me hoc morbo correptam fuisse, propterea quod hoc ipso a passionibus, quibus antea affecta eram, nunc prorsus liberatam me sentio. Etenim nunc legumina, quae ante dolores, ructus, atque inflationes effecerant, bene possum concoquere, primis diebus, quibus lectum non amplius petii, pedes habui vespere tumidos, qui tumor nunc etiam evanuit. Omnes secretiones et excretiones quum rite procederent, ac somnus,

lingua, pulsus etc. sanitatem indicarent, medicamenta alia non adhibuimus.

Post octo hebdomadas cum mulierem rursus viseremus nobis dixit ea, omnes vires vitales nunc optime vigere, seque tempore quatuor annorum praeteritorum nunquam tam perfecta usam fuisse sanitate, quam qua nunc gaudeat.

Tertia morbi historia.

Müller, quadragesimum aetatis annum agens et inde a quatuor annis in matrimonio degens, perdiu laboraverat doloribus colicis, appetitu turbato et alvi excretione irregulari, indigestionibus atque inflationibus, adeo ut affectiones hypochondriacae per decem annos nunquam desierint. Color etiam faciei flavus, tener et gracilis corporis habitus, temperamentum cholerico-melancholicum, constitutione sic dicta atrabilaria eum praeditum esse, clare indicarunt. Nono novembris anni 1819 frater meus ab eo ad auxilium ferendum petitus est.

Aegrotum is invenit facie lurida, corporis macie eximia, viribus exhaustis, ipsumque de vita desperantem. Diarrhoea sanguinolenta et aquosa saepius rediit; pulsus celer et intermittens; lingua sicca, mucoque nigro obducta; sitis perpetua, et post potum emesis; appetitus ciborum nullus, attamen, quae edere tentavit, mox, sicut potulenta, evomuit. Si sedere aut lecto cubare vellet, anxietas supervenit circa praecordia et angor pectoris cordisque, et simi-

lis, ac si hydrothoracis paroxysmo correptus esset; ita ut per sex dies noctesque ne per momentum temporis quidem domiverit. Tremens, vix pedibus stare potuit, oculis semiclausis in facie pallida, et loquela lenta tremula morienti similis apparuit. Uxor ejus fratri meo narravit, morbi principium fuisse ante septem dies, sanguine per os et materia nigra per alvi excretionem perrumpente. Medicum, quem primum consuluissent, ipsi dedisse alvum laxantia, iisque adhibitis intra sex dies plus quam vicies per alvum atra materia, mixta excrementis, per vomitum autem, qui ter repetisset, parum tantum sanguinis cum aqua, pituita et bile, prodiisse. Abdomen molle et attractum, regio epigastrica et hypochondriaca sinistra parum tensa tangenti digito dolorifica atque fortiori tactu angustia orta, ut spiritum trahere vix posset.

Omnia symptomata aegrotum mox virium ex inanitione moriturum designarunt. Ad vires prostratas quam fieri possit extollendas et simul sensibilitatem excessivam nervorum gangliorumve diminuendam, praescripsit frater:

Aqu. Lauro - Cerasi Unc. dimid. S. omni quadrihorio gtt. viginti sumend. alternatim cum mixtura ex:

Sem. Papav. alb. sem. Hyoscyami aa. dr. una et dimid. F. Emuls. c. Aqu. foenicul. Unc. tribus parat. cui adde: Tinct. cinnamomi dr. tres. Spir. acetico aether. dr. unam Aqu. cinnamom. vin. dr. sex.

M. d. s. Omni quadrihorio cochlear detur. Ad haec extrinsecus applicandum unguentum ex:

Linim. saponat. camph. Unc. una. Ungt. Hydrarg. ciner. dr. duabus, quo omni bihorio leniter regiones epigastrica et hypochondriaca essent inungendae.

Postridie nonas Novembres aeger fratri meo dixit, se, postquam sexies sumsisset medicamentorum plenum cochlear, quiete dormivisse, atque se quasi in coelis nunc versari sibi videri, quia sedere et cubare posset. Nec vomitus nec diarrhoea rediit, pulsus rarius intermisit; lingua humida et leviter obducta fuit; omnia alia fere eadem, sed mitiora. Tenesmus quum adesset, sine alvi excretione sequente, alternatim cum Aqua Lauro - Cerasi sumere iussus est sequens medicamen:

Rec. Aqu. laxativ. Unc. duas. Tartari natronat. Dr. tres. Extr. Hyoscyami Scr. unum. Tinct. Rhei aq. Syr. Papav. rh. aa. Dr. sex.

M. d. s. Omni trihorio cochlear semis sum.

Septimo Novembris medicamentis aliquoties sumtis ter secuta est diarrhoea sanguinolenta cum faecibus induratis; indeque debilitas major atque interdum in cubando angoris descripti paroxysmus venit. Ciborum appetitus adhuc depravatus, sitis parca, vomitus nullus, urina pauca rubra. Accepit:

Rec. Sem. Hyoscyami, Papav. albi aa. Dr. duas Aqu. foenicul. Unc. quatuor; paret. emuls. cui add. Tinct. Digit. purp. Dr. duas Spir. sulph. aether. Dr. unam. Tinct. Rhei aquos. Syr. cinnamom. aa. Unc. unam.

M. d. s. omni bihorio cochlear unum sumendum.

Nono Novembris somnus quietus fuit, bis alvi excretio cum faecibus induratis sine sanguine admixto, pulsus debilis, non intermittens, linguae apex immunis, medium et radix sordibus tecta flavis.

Quum singultus ortus esset, ejusque causam in Tincturae digitalis usu positam esse judicaret frater, praescripsit quidem eadem medicamenta, sed loco Tinct. Digitat. substituit Kali tartaric. drachm. duas.

Decimo Novembris omnia meliora facta, singultus cessavit, sed urina parcius excreta. Propinatum hodie:

Rec. Tinct. Digit. purp. Dr. duas Mixt. sulph. acid. Spir. acet. aeth. Dr. unam et semis.

M. d. s. omni trihoria gtt. triginta haur.

Decimo secundo Novembris. Urinae secretio aucta, faeces molles atque omnia in mitius meliusque conversa, excepta virium vitalium prostratione, adhucdum perseverante. Quare ei praescriptum est sequens:

Rec. Cort. Peruv. opt. gross. pulv. Unc. dimid. Magnes. ust. Dr. unam et semis. Inf. p. hor. colat. Unc. quatuor adde Mixt. sulph. acid. Dr. semis. Tinct. cinnamom. Elaeosacch. menth. pip. aa. Dr. tres

M. d. s. trihorio cochlear unum sum.

Decimo quarto Novembris. Nunc demum ciborum appetitus bonus, vires augentur, facies pallida in meliorem vertitur, lingua pura. Ut tamen eo certius promtiusque virium perfectiori restitutioni succurreretur, propinata est aliquomodo mutata mixtura haec:

Rec. Decoct. cort. Peruv. e Dr. sex cort. parat. Unc. sex. Mixt. sulph. acid. Extr. centaur. minor. aa. Dr. duas, Tinct. cinnamom. Unc. unam.

M. d. s. omni trihorio cochlear unum sum.

Decimo nono Novembris aegrotus ipse ad fratrem meum venit, viamque unius horae spatio pede fecit. Dolor hypochondrii gravativus secessit, bene dormit, edit et concoquit, nisi fuerint legumina et caro suilla quibus inflationes et ructus oriuntur. Accepit proinde:

Rec. Tinct. Chinae comp. Unc. unam Elix. aurantior. comp. Dr. duas, Tinct. aurant. Unc. semis.

M. d. s. ter in die quinquaginta gtt. in vino sumendae.

Decimo secundo Decembris. Digestionis vis nondum prorsus restituta; nam tardius adhuc a cibis aliquantum gravioribus stomacho alvoque turbatur. Quam ob rem datum ei est sequens:

Rec. Aqu. menth. pip. Unc. quatuor. Extr. Tarax. Tartar. tartar. aa. Unc. semis, Extr. centaur. m. Spir. sulph. aeth. aa. Dr. duas.

M. d. s. quater in die cochlear hauriend.

Hoc a tempore sanitatem recuperavit perfectiorem quam antea; corpore crassior et fortior factus est; facilique et jucunda opera, a passionibus antea ipsum vexantibus hypochondriacis nunc immunis, negotia sua mercantilia perficere potest.

Historia morbi quarta.

P . . . . . quinquaginta duo habens annos, corporis habitu strictiore, abdomine pro reliquo corpore

crassiore, facie pallida et cachectica, statura brevi, temperamento melancholico, in juvenili aetate spiritus vini potui copioso, nec non onaniae deditus, postea in matrimonio quatuor liberorum pater factus, inde ex pluribus annis malo hypochondriaco ac melancholico affectus fuit. Quamvis possessor esset permagnarum fortunarum, et quamvis in tantis divitiis cum familia vitam victumque nimis parcum degeret, ex melancholica tamen animi prehensione mox de rei domesticae stabilitate desperare coepit, continuaque anxietate metuque agitatus est, ne ipsi liberisque pecunia ad vivendum necessaria deficeret. Subjunctae omnino erant huic malo hypochondriaco causae materiales, systematis venae portarum plethora atque sanguinis in eo stagnationes, iisque adfuere sensus hypochondriorum dolorifici, tensio abdominis, appetitus et alvi excretio irregularis, vertigo, etc. Ad quae mala curanda frater meus atque alius una consultus medicus suaserunt, ut balnea, resolventia, clysteres viscerales et c. adhiberet aeger.

Quum is autem adhuc in tantum viribus sibi constare putaret, ut negotiis dilectis suetisque circa divitias suas augendas et pecuniam foenerandam adhuc vacare posset, neque periculum in mora esse ipsi videretur, omisit facere, quae ipsi a medicis praescripta erant, neque diaetam idoneam servavit. Mane jejunus ad dolores vel inflationes levandas bibit spiritum vini cum tincturis amaris, neque

minus contra fratris mei praescripta, legumina, carnem suillam et c. edit.

Accidit ipsi decimo nono Maji anno 1816, ut cum animi deliquio excretio sanguinis atri foetidissimi tam per oesophagum et os, quam ex alvo prodiret, qua duae circiter mensurae illius evacuatae sunt. Frater meus vocatus hora undecima vespertina, invenit aegrotum ingente correptum debilitate, pulsu intermittente, filiformi, lingua nigricante adhuc materia obducta, voce debili, loquela vix intelligibili, manibus pedibusque frigidis, facie lurida; nunc mente compos erat, nunc alienus et soporosus.

In tali rerum statu, quo parum spei superesse videbatur, ex clarorum virorum auctoritate sequens ordinavit frater remedium:

Rec. Ol. Amygd. dulc. Dr. sex. Gi. arab. Dr. duas, fiat. c. Aqu. fl. aurant. Unc. tribus emulsio, cui adde Kali tartar. Dr. duas, Syr. Papav. rh. Unc. unam.

M. d. s. omni hora cochlear sum. Hora quarta matutina vomitus atque secessus niger rursus rediit: Tum medicina ita mutabatur:

Rec. Summit. millefol. inf. Unc. quatuor. Extr. gramin. Tart. boraxat. aa. Dr. duas. Tinct. Cinnamomi Dr. unam.

M. d. s. omni hora cochlear propin. Ad externum vero usum adjunctum est sequens:

Rec. Cort. Peruv. gross. pulv. Unc. tres. Flor. Chamom. Hb. Menth. Spec. aromat. aa. Unc. unam.

M. d. s. vino infusa atque digesta abdomini calide imponantur.

Tertio et quarto morbi die aliquoties, sine vomitu, alvum deposuit; excretae materiae ejusdem generis erant. Vires aliquantum crescere visae sunt; ideoque iisdem medicamentis ut uteretur jussus est. Quinto morbi die vomitus materiae nigrae tertia vice rediit; indeque syncope vehemens completa, quam mox et fere opinato citius mors placida excepit.

II.

Morbi nigri natura ac sedes ex cadaverum sectionibus indagata, variaeque de ea Autorum sententiae. *)

§. 1.

Morbus niger ea est viscerum vitae functionisque abdominalium et sanguinis vasis brevibus ad ipsum

---

*) Scriptores praestantiores, qui de hac materia prodiderunt, sunt sequentes:

Breschet de Melanosi, in Cl. *Harleſs* Rh. Jahrb. I. m.

Bryan, Diss. de melaena. Edinb. 1786.

Fausius, Diss. de morbo nigro Hipp. Heidelb. 1657.

Gasser, Diss. de morbo nigro Hipp. Argent. 1761.

Girard, Diss. de melaena. Edinb. 1789.

Hall, Diss. de melaena. Edinb. 1782.

Hartmann, Diss. de morbo nigro Hipp. Frkf. 1786. Doering I. p. 194.

Hoehn, Diss. Cogitata quaedam de morbo nigro Hipp., vomitu cruento et diarrhoea cruenta. Jena 1796. Salzb. med. chir. Zeitung 1801. IV. p. 386.

Hoffmann, Fr., Diss. de morbo nigro Hipp. Frkf. et Hal. 1701. et in ejus Operib. T. IV.

ducti degeneratio, qua tum ventriculi et speciatim systematis sanguiferi venosi ad illa pertinentis, tum inprimis intestinorum tenuium partimque crassorum excretio nigra, sanguini dissoluto attamen tenaciori similis, picea, subputrida, graveolens, magna plerumque copia pluries excernitur, ita ut aut vomitus cruentus praecedat aut comitetur dictas excretiones alvinas, summamque virium prostrationem et deliquia facillime oriunda secum ferat.

§. 2.

Hippocrates *), cui primam hujus morbi descriptionem debemus, materiam illam censuit esse bilem atram, morbumque ipsam posuit in numero atra-biliosorum. Hanc sententiam adoptarunt non solum *Galenus*, ejusque sectatores, sed longe plurimi quoque medii et recentioris aevi Auctores ad saeculi XVIII. initium mediumve usque. Quid, quod adeo post *Schoberum* 1),

---

Kühn, Diss. de morbo nigro Hipp. Lips. 1802.
Lausden, Diss. de morbo nigro Lugd. Bat. 1694.
Marcus, Adalb. Fr., Ephemeriden der Heilkunde. III. Bd.
Schoningh, Diss. de morbo nigro Hipp. Groning. 1768.
Schrader, Diss. de morbo nigro Hipp. Rintel. 1764.
Singer, Diss. de morbo nigro Hipp. Tyrnav. 1775.
Tissot, Epist. med. pract. Lausanne 1760.
Wendelstaedt in Hufelands Journal der pract. Heilkunde. XX. B. 4. St. p. 71.
Wundram, Diss. inaug. med. sistens momenta quaedam circa melaenam. Goettingae 1803.

*) V. de morbis lib. II. sect. v.

1) Ephem. N. C. Cont. 3 et 4 in app. N. 12. c. 1.

Budeum 2), aliosque istius aevi, ipse *Morgagnius* 3), illi sententiae addictus esse videbatur, quia in cadaveribus morbo nigro defunctorum cystidem felleam solito majorem eademque materia impletam invenerunt, quam vivi ejecerant. Attamen jam olim quoque fuere alii auctores aliter rectiusque sentientes, iisque accedunt novissimi et clarissimi omnes, in eo convenientes, materiam istam alvo oreque ejectam nihil aliud esse, quam sanguinem degeneratum, solutum, vel subputridum. Sic apud *Fr. Hoffmannum* 4) invenis, *Riolanum* 5) dixisse, deprehendisse sese vas breve minimi digiti latitudinem habens, in rejectione sanguinis per superiora et inferiora; nec minus *R. Columbum*, 6) *F. Platerum*, 7) et *Bonetum*, 8) idem animadvertisse legimus. *Cl. V. V. Portal* 9) et *Richter* 10) tradunt, materiam nigram ex vasis brevibus late patentibus in ventriculum expressam transiisse. *Portal* in libro citato p. 19. dicit: quinquies se in cadaveribus dissectis sanguine impleta invenisse intestina tenuia atque ductus choledochos. *Hunter* 11) idem testatur evenire in febre flava.

2) Earundem Cont. 1 et 2 observ. 105.
3) de caus. et sed. morb. Tom. II. p. 110.
4) Medicin. ration. systemat. Tom. IV. p. 67.
5) Anthropolog. Libr. II. cap. 17.
6) Rerum anatomic. Libr. XV.
7) Observation. Libr. II.
8) Medicin. septentrional. Libr. III. Sect. 5. cap. 4.
9) Abhandlung für praktische Aerzte. Bd. VIII. S. 22.
10) Medizinisch chirurg. Bemerkungen. Bd. I. S. 119.
11) Dissert. de flava Indiarum febre. Edinb. 1798. p. 67.

Omnes autem in eo consentiunt, quod nunquam non viscera abdominalia, hepar, lien, ventriculus, pancreas, mesenterium atque speciatim eorum vasa sanguifera fontem praebeant ad morbum nigrum generandum.

§. 3.

Etenim in *cadaveribus* hoc morbo trucidatorum unum vel alterum horum viscerum invenimus mole naturali vel majus vel minus, tum induratum, tum molle, tum alio modo eorum structuram atque formam varie corruptam. Vasa his visceribus conjuncta sanguifera, meseraica, splenica, coronaria, brevia etc. deprehendimus tumida, varicosa atroque sanguine impleta, itemque saepius in ventriculo, duodeno atque intestinis tenuibus nigras maculas, ex quibus compressis ater latex effluit. Ventriculum viderunt plures 2) post mortem cruenta materia refertum 1), faciem ipsius internam pallidam, vasa sanguinea, praesertim venam cavam, sanguine plane orbata 2).

§. 4.

Quanquam autem nostris temporibus medici in eo conveniant, sedem morbi hisce in visceribus positam, nec non materiae nigrae causam in sanguine esse degenerato, tamen in eo dissentiunt auctores, quibus ex

---

1) *v. Fr. Hoffmann* l. c. p. 71.

2) *Reil* über die Erkenntnifs und Cur der Fieber. T. III. p. 151. *Richter* specielle Therapie. T. III. *Jahn* Klinik der chron. Krankheiten, fortges. von *Erhard*, T. III.

vasis effluat sanguis, ac quomodo color sanguinis ruber in nigrum permutetur. Ita *Reil* (l. c. p. 157) declarat, haemorrhagiam hanc ortum quidem ducere ex hepatis vitiis e venae portarum nimio sanguine impletione, sed sanguinem excretum ex arteriis ventriculi, duodenalibus et meseraicis, quae venis nimis impletis sanguinem promovere non possent, effundi; nigro autem colore tingi et putrescere sanguinem stagnatione in ventriculi atque intestinorum cavis.

Cl. Erhard l. c. p. 411. absque dubio judicat haemorrhagiam ex venis produci.

Richter, l. c. p. 309 adsentitur, sanguine stagnante ventriculi intestinorumque venas fieri varicosas, ex quibus subito erumperet sanguis foetidus et niger. Hujusmodi alii plures ferunt sententiam.

Jidem autores interdum post mortem nullum structurae vitium inveniri testantur, quod quidem, me judice, in haematemesi acuta evenire potest, nunquam autem in morbo nigro.

§. 5.

Haec interea sufficiant de differentia sententiarum circa fontem sedemque morbi. Quae reliqua de hac re dicenda supersunt, videantur in capite de diagnosi m. n. Verum enimvero quamvis autores in quaestione, quibusnam ex vasis effundatur sanguis, dissentiant, ego quidem sanguinis nigrum colorem vel melanosin non in arteriis, sed in venis fieri, ac vasis hepatis,

lienis et. c. lympathicis, iisdemque dilatatis atque corruptis haemorrhagiam induci, convictus sum.

Systema venae portarum, ad bilis praecipue fabricam compositum, receptaculum et simul aliquomodo officina est sanguinis hydrocarbonici, qui facilius, quam sanguis arteriosus, in vasis suis venosis, citiusque extra vasa evadit niger ac foetidus 1). Sectiones cadaverum itidem venas praesertim, prae arteriis, affectas ostenderunt. Negare tamen nolim, arterias etiam in morbo nigro, non autem primarie, sed secundarie, a venarum vitiis affici, easque interdum cum venis ex congestione posse dilatari atque disrumpi; saepius autem evenire hoc in vomitu cruento eoque acuto vel subacuto, quo sanguis ruber, vel atro-purpureus coagulatus excernitur. Haematemesis autem haec non idem est, quod morbus niger, sive vera illa melanosis, qua sanguis, secundum *Clar. Breschet* 2), tantopere est degeneratus, ut omnem perdiderit vim plasticam.

§. 6. *Causae occasionales.*

Quae in corporibus praedispositis eruptionem ipsam inducnnt, sunt praesertim: variae animi commotiones,

---

1) V. *Cel. Harlefs*, Rheinische Jahrbücher der Medicin und Chirurgie Bd. V., I. Stück 1822. p. 88. Hoc loco dicit celeberrimus autor: Melanosis in systemate capillari incipiens, producitur a sanguinis secretione ac mixtione retrogressa, cum charactere putrido et carbone hydrogenico praeponderante.

2) *Harlefs*, Rh. Jahrb. l. c. p. 93.

angor, terror, ira; corporis nimiae exagitationes, lapsus vel ictus; pedum atque abdominis refrigerationes; laxantia drastica, vomitoria, emmenagoga, crapulae et vigiliae frequentiores etc. Saepe autem causa occasionalis nulla patet, atque videntur causae praedisponentes sensim structurae vitia gignere talia, quae, tono reproductionis organorum dejecto unaque circulo sanguinis per canales ex infarctu, obstructione, et stagnatione intercepto, atque sanguine ipso dissoluto, ad atram haemorrhagiam inducendam sufficiant. Multae adhuc notantur aliae causae, ex quibus non tam morbus noster, quam vomitus cruentus simplex excitari potest, quales sunt: venena acria, vitrum devoratum, hirudines in ventriculum ingressae, congestiones sanguinis abdominales in gravidis et parturientibus, status inflammatorius ventriculi atque intestinorum in febribus biliosis putridis, in febre flava, gravior infantum succulentorum dentitio, haemorrhoea petechialis, pylori indurati angustia etc. Haec vero, quum per se vomitum cruentum simplicem, absque melanosi, producere tantum valeant, ad nos quidem, morbum nigrum tantummodo describentes, non attinent; quanquam non ignoro, duos hos morbos passim ab autoribus sibi non solum simillimos, sed adeo pares ejusdemque naturae haberi, neque minus cruentum vomitum pro re nata in morbum nigrum posse transverti.

§. 7. *Causae praedisponentes.*

Corpora graciliora et teneriora, nervis systematis gangliaris nimis sensibilibus, abdominisque visceribus debilibus praediti, unaque animo sensibiliori et mobiliori conspicui, prae aliis ad morbúm nigrum disponuntur, atque, quum crassior et crudior sit victus, cibi male vel haud satis cocti insipidique, et quum accedat vita sedentaria, sanguinis profluvia suppressa, febres intermittentes male curatae, tristitia diurna, potuum spirituosorum abusus, onania atque similia alia, quae dispositionem augent, ita adfecti praeparatique et opinato citius in morbum ipsum facillime incurrunt Praeterea conferre plus minusve valet ad diathesin creandam vis coeli climatisque et aeris, terrae regio, praesertim meridionalis, calida, humida, paludosa, umbrosa, profunda, et habitationis conditio similis, insana, parum lucida, mephitico aere repleta etc.

§. 8. *Symptomata prodroma,*

quae morbi nigri eruptionem per plures utplurimum annos praecedunt, mixta sunt ex morbi hypochondriaci, hysterici, et infarctuum abdominal. symptomatibus. Pertinent huc potissimum: ciborum appetentia atque alvi excretio irregularis, ructus acidus, nausea atque interdum vomitus, digestio depravata, ventris inflatio et tormina intestinorum, dolores colici, sensationes hypochondriorum dolorosae ac tensivae, dolor inprimis mali omnis in sinistro latere circa lienem, pallida facies, cachecticus corporis habitus, anxietates praecordiales et

cardialgia, animus tristis, corpus marcescens, atque alia languoris et depravationis organorum reproductioni inservientium signa.

§. 9. *Diagnosis.*

Prodromis signis descriptis, morbi efformati ipsius (nisi evolutio ejus intercepta fuerit) sequentia utplurimum citius tardius sese accingunt symptomata: dolor in sinistro, rarius in dextro latere per menses crescit, reproductionis functiones sensim magis depravantur; angor atque anxietates circa praecordia augentur 1); debilitas crescit et in animi deliquium interdum transit, facies lurida fit cum plumbeo circa oculos colore, loquela tremula; subveniunt dolores pungentes et pressorii abdominis, dorsi et pectoris; extrema frigent, sensus demittunt, pulsus fiunt parvi, celeres atque intermittentes, vacui, vix sensibiles; praecordia constringuntur; vapor calidus *oesophagum* accendit; et proinde, accedentibus lypothymia et spasmis ingentibus sequitur atri, putridi sanguinis dejectio, tum per oesophagum et os, tum per alvum, mixti cum cibis male digestis, bile, pituita etc. Urina, quae parca excernitur, saepe atro-rufa et foetida est.

Paroxysmus talis — nam ita sanguinis corrupti extrinsecus erumpendi impetus vocare licet — plus minusve per quadrantem horae perdurans, afferre solet levamen; sensus et animus redeunt, angor levior et

---

1) *Wundram* diss. inaug. med. circa melaenam. p. VI.

tolerabilior fit; signis tamen magnae debilitatis, et concoctionis perversae perseverantibus. Post horas aliquot, vel etiam post unum vel plures dies, si remedia tollendo morbo imparia sunt adhibita, redit paroxysmns sub iisdem symptomatibus urgentibus; vel etiam sub lenioribus symptomatibus materia nigra cum stercoribus excernitur, cessante vomitu cruento.

Autores quidem, saepius morbum nigrum a sanguinis putridi per alvum tantum, sine vomitu excretione incipere perhibent. Neque ego negare velim, hoc ita se habere. Attamen frater meus, qui sexies tractavit ejusmodi aegrotos, ineuntem morbum nunquam alio modo vidit, quam sanguinis per os et alvum rejectione simul invadentem. Rarissime certe vomitum in morbo nigro incipiente abesse posse censeo, quia copiam (unam usque ad quindecim libras) et corruptionem deprehendimus tantam, quandam, etiamsi in intestinis ileo et jejuno effundatur, sine nausea et motu ventriculi antiperistaltico accedente, excerni, mihi persuadere vix queam.

Materiam autem excretam revera sanguine constare, optima et certissima explorandi viam hac quidem demonstrari posse existimo, quod aquam tepidam affundamus, qua materies illa colore rubro vel bruno tingitur. Etenim si materia ista bile constaret, ex adfusa aqua tingeretur colore flavo viridi 1). Alvi porro excretio colore insolito nigri vel ex rubro subatro il-

1) *Reil* l. c. p. 138.

lius materiei speciem induens, sed in hominibus sanis, aut certe non illo morbo adfectis procedens, aut vomitus sanguini similis in eadem hominum sana conditione a myrtillorum baccis, cerasis nigris, aliisve fructibus jusculisve ruborem fundentibus inductus, facile distinguitur a vera melanosi ex absentia symptomatum morbo nigro propriorum.

Ex cadaverum sectionibus, quarum potiora inventa supra jam recensuimus, satis elucescit, sedem morbi esse talem, qualem designavimus, morbumque nigrum semper cum texturae compagisve vitiis vel laesionibus convenire in uno vel altero abdominis viscere, hepate, liene atque speciatim in eorum vasis sanguiferis, maximeque extremis capillaribus et venosis locum habentibus.

§. 10.

Morbi nostri *originem primaque incunabula* non solum, sed *interiorem* simul *essentiam*, quam dicunt, perscrutans, maximi deinceps judico esse momenti, ad principia eiusmodi aegritudinum, quae in abdominis visceribus systemateque meseraico et venae portae sensim sensimque variaque specie parantur, fugaci oculo respicere, ut eo certius morbi indolem indagemus atque cognoscamus.

Homines corporis habitu procero, macilento et tenero, constitutione atrabilaria, tricesimo anno superato, postquam perdiu passi sunt hypochondriacas atque infarctuum descriptas aegritudines, facilius a mor-

bo nigro, quam alii, corripiuntur. Primo tempore, quo de digestionis etc. vitiis conqueruntur, spasmus interior nervorum vasorumque adest, vel aliis verbis ut dicam, abnormis status virium vitalium in systemate reproductivo. Spasmo lienis saepe redeundo congestionem efficit passivam in systemate venae portarum, indeque secretiones atque nutritionem pervertit et sensationes inducit varias easque molestas perversasque huic sivi Fundamento, dynamico ita per hoc tempus posito, morbus sensim vitam organorum propriam aggreditur, vires vitales deprimit, circulum sanguinis reddit irregularem, atque succos permutat entericos, ut quantitate et qualitate vitientur. Morbus dum hucusque intra fines dynamicos sive virium motuumque vitalium aberrationibus et perturbationibus continetur, neque adhuc in ipsius materiei texturaque organicae laesiones et corruptiones transiit, faciliori plerumque opera victus et regiminis idonei ope reliquaque cura diaetetica cohiberi primoque sic gradu extingui posset. Progrediente tamen morbo, organa et vasa, majori laborantia atonia, dilatantur et coërcentur; sanguis et succi iufarctu et obstructione stagnant atque corrumpuntur, fluidorumque in solida et solidorum in fluida mutua actio et reactio (quibus rite procedentibus sanitas et vita organica conservatur) perturbata et perversa facta, nunc vires atque organa magis magisque destruit, donec causa occasionali levi accedente, sanguis degeneratus putridusque ex organis et vasis destructis prorumpat, morbumque nigrum producat.

§. 11.

Morbum nigrum itaque, pro subjectorum dispositione, pro omnibus symptomatibus, quae ejus principium, progressum, atque eruptionem ipsam concomitantur, consideratum, esse profitemur cachexiam chronicam asthenicam ex intemperie virium reproductivarum oriundam, ipsumque evolutione lenta, vitia intestinorum abdominalium organica inducere, quae denique haemorrhagia atra sequatur necesse est.

§. 12.

Differentia morbi nigri a vomitu cruento simplici.

Morbus niger ex organis abdominis, hepate, liene, pancreate, glandulis meseraicis etc. corruptis, id est ex vitiis organicis, cum congestionibus sanguinis passivis, paralysi simili statu, inducitur.	*Vomitus cruentus* s. *haematemesis* oritur ex ventriculi atque intestinorum arteriis et venis, quae ex causis et mechanicis et dynamicis 1), cum congestionibus sanguinis activis, quin immo ex inflamatorio saepe statu, haemorrhagiam patiuntur.
Morbus niger post aegritudines per annos utplurimum perseverantes proficiscitur, et nunquam non	*Vomitus cruentus* breviori tempore, vel subito, vel post dies aut hebdomades aliquot cooritur,

1) v. p. 25 seq. in paragrapho de causis occasionalibus, qua eas retuli.

post mortem reperiuntur destructiones organicae.

neque raro in ipso nullum abdominis intestinorum structurae vitium invenimus organicum.

In *morbo nigro*, incipiente paroxysmo, sanguis semper excernitur nigerrimus, picis instar et foetidissimus, atque vasis inclusus melanoseos processu jam infectus est, ut nigerrimum excretum apparere oporteat. Vid. de hoc S. G. *Vogelium* 1) atque Fr. G. *Breuel* 2), qui ejusdem quoque sententiae sunt.

In *vomitu cruento* sanguis excernitur ruber vel bruneus, coagulatus vel tenuis; sanguis niger, qui serius per os aut alvum ejici solet, sola in intestinorum cavo commoratione induitur nigro colore ac foetore.

Morbus niger comites habet vires exhaustas et spasmos.

Vomitus cruentus comitem habet febrem, vel erethismum.

Morbus niger corpora tantum disposita sporadice aggreditur.

Vomitum cruentum epidemice grassari interdum observarunt autores 3).

Si licitum erit, ut differentia amborum morborum clarior elucescat, eos cum haemoptysi componere, vo-

1) L. c. p. 74.

2) v. Dissert. ejus de morb. nigro Hippocr.

3) *Fr. Hoffmann* l. c. p. 70 et *Richter's* chirurg. Bibliothek, Bd. XII. S. 195.

mitum cruentum cum ejusmodi haemoptysi convenire judico, quae in statu pulmonum inflammatorio vel in congestione sanguinis activa ab haemorrhoidum et mensium suppressione, refrigerio, plethora locali vel universa atque aliis causis, sine vitiis pulmonum organicis inducitur. Morbus niger contra ei comparandus est haemoptysi, quam causa fovet interna, id est structura pulmonum morbide mutata, vomicae, tubercula etc.

§. 13. *Differentia Morbi nigri a Splenitide.*

Luculenter puto me demonstrasse morbi nigri differentiam a vomitu cruento, eamque fallere non posse, si anamnestica eruptionis ipsius symptomata, materiamque excretam diligenter perspicimus.

Pari modo *splenitidi* in exitu magna cum morbo nigro similitudo est. Quare medicus tum denique vocatus, anamnestica decursumque morbi nesciens, haerere potest, utro eorum aeger laboret. Curae quidam therapeuticae, si initio non distinguantur, magnum id afferre damnum non potest; sed diagnostico tamen fine eos cognoscere et distinguere oportet. Quod mihi quidem non ita difficile esse videtur. Secus tamen *Ad. Friedr. Marcus* judicat; is enim asserit, morbum nigrum pro exitu splenitidis esse habendum, nihilque esse aliud, nisi splenitidem. (vid. Ejus *Ephemerid. d. Heilk. T.* III.) Rationes quas profert, sunt hae.

In morbo nigro hypochondrium sinistrum semper et maxime male esse affectum; praecipueque regionem

lienis intumescere et dolores creare; praeterea plura symptomata morbosa splenitidis et morbi nigri esse eadem.

Illud quidem negari non potest, nec quisquam eorum, qui de morbo nigro scripserunt, unquam negavit, sinistrum hypochondrium, nominatimque regionem lienis laborare: atque ego ipse in ea sententia sum, raro reperiri morbum nigrum sine lienis inflammationibus, saltem chronicis; quum inter omnes constet, morbum nigrum eum esse, qui non solum lienem, sed etiam totum portarum venarum systema, quinimo omnia cavi abdominis organa, corrumpere possit. Quare equidem *Tissotio* accedo, e splenitide morbum nigrum oriri posse. —

Conspicui febris motus, qui vespere exacerbantur (aestus scilicet et horripilationes se subsequuntur), splenitidi cum perturbationibus in sanguinis circulatione antecedunt. Quum autem vomitus cruenti et sedes cruentae (quae quidem raro accidunt) apparent, tum extremum splenitidis stadium adest. Adde quod *C. Marcus* initio splenitidis sedes cruentas nunquam vidisse se ait; atque *Cl. V. V. Bree* et *Horn* normalem esse sedem illi, qui splenitide laboret, contendunt. Quae omnia si inter se comparantur, essentialis differentia inter splenitidem et morbum nigrum deprehendetur; nam primum febris motus, qui splenitidem praecedunt, ad morbum nigrum non pertinent; quanquam haud dubito, quin illi nonnunquam accedant, quum praesertim morbi nigri complicationes cum aliis

malis permultae esse possint; quo fit, ut chronicus decursus hujus morbi magis acutus fieri posse videatur; atque in his tantummodo casibus motus proprie febricosi reperientur. Secundo morbi nigri proprium esse videtur, quod, dum 'is exoritur, uno cum vomitu sedes tales, quales supra descriptae sunt, accidunt: quanquam his ille plerumque praecedit. Quare non ut in splenitide ad extremum stadium, sed ad primum potius sedes cruentae pertinent. Tandem rarissime in splenitide sanguis tam degeneratus, quam in morbo nigro apparebit: unde jam *Scheuckius* adeo sub nigrarum dejectionum nomine morbum nigrum descripsit.

§. 14. *Differentia morbi nigri ab Haemorrhoidibus.*

Haemorrhoidali fluxui, qui in ortu et decursu, quantitate et qualitate sanguinis atque praecipue in eruptione ipsa, tantopere a morbo nigro differt, ut unus pro altero morbo haberi vix possit, id tantum commune est cum morbo nigro, quod utroque in morbo sanguis per alvum excernitur.

In senibus interdum sanguis per vasa haemorrhoidalia excernitur niger, foeditus et dissolutus; quo in statu, quum intestinum rectum paralysi, abdomen meteorismo nisi tympanitide sit affectum, alvi excretio involuntaria procedat, et signa localia haemorrhoidum tumidarum conspici possint, diagnosis vix esse poterit dubia.

§. 15. *Differentia morbi nigri a Dysenteria.*

Dysenteria ex doloribus abdominis intestinorumque, diarrhoea frequente, tenesmo vehementi, sanguinis ac pituitae per alvum excretione, statuque febrili cognoscitur. Caret morbus niger tenesmo et febre; praetereaque sanguinis excreti quantitas et qualitas tam varia et diversa sufficit ad internoscendum utrumque morbum.

§. 16. *Differentia morbi nigri a Cholera haud exquisite acuta.*

Nullum novi morbum, qui in suo initio tantum similitudinis cum morbo nigro praebeat quod ad symptomata potiora, quam choleram. Duo hi morbi sporadice in multis regionibus progrediuntur, eademque fere modo invadunt cum virium iactura, pulsu parvo (saepe intermittente), spasmodicis affectibus, extremorum frigore, pallida et lurida facie, humidorum magnae copiae vomitu ac diarrhoea, adeo ut mensurae aliquot paucas intra horas evacuentur. Post evacuationem vires exhaustae aliquantulo redeunt, donec paroxysmus denuo inchoet; insuper aeque, ac morbo nigro, cholera corripiuntur, qui jam dudum aegri et cachectici fuerunt, (quod autem in cholera non toties, quoties in morbo nigro evenit.)

Diagnosis certior praecipue posita est in excrementorum accurata disquisitione. In cholera excreta sunt bilis, aqua, pituita, stercora et succi enterici; in morbo nigro sanguis ater et graveolens prae aliis

eminet fluidus, quo manifeste dignoscitur a cholera morbo. Absolvitur vero diagnosis morbi nigri absentia dolorum torminumque ventris et intestinorum fere omnium, in multis cholerae acutioris casibus (modo non in omnibus) misere aegros cruciantium; ut de *epidemica* cholera acuta, eaque saevissima et cito necante, taceam.

§. 17. *Prognosis.*

Ipsius jam *Hippocratis* effato praedicitur: si vomitui cruento, nigra, pici similis eaque graveolens alvi dejectio jungitur, subitaneum hoc utplurimum enunciat interitum; si sanguis ex corrupto et magno liene, vel indurato hepate proficiscitur, animique tandem defectio jungitur, mortem proximam portendit; *vid. Hipp. Aphor.* 37, Sect. VI.

Huic adsentiens *Fr. Hoffmann* l. c. p. 71. summum observat esse hoc in statu periculum. Atque ita omnes medici morbi nigri prognosin summe periculosam et non tantum ancipitem, sed plerumque funestam statuerunt.

Periculum morbi pendet *primum* ab haemorrhagia ipsa; quae, modum excedens intra viginti quatuor horas lethalis fieri potest 1).

Secundo ab organorum destructionibus, quae tantae esse possunt, ut medelam nullam admittant. *Tertio* a morbis subsequentibus cachecticis, (hydropibus,

---

1) *Fr. Hoffmann* l. c. p. 78.

icteris, febribus hecticis ex suppuratione hepatis) etc. qui utriusque causae conjunctione, id est sanguinis jactura et degeneratione nimia ex organis destructis oriuntur.

Nec tamen ego, quamvis periculi expers morbus niger judicari nequeat, adeo infaustum, quam *Hippocrates* et *Fr. Hoffmann*, praedicarunt, morbi eventum esse censeo; sed quum modo methodus medendi sat idonea rite et cito adhibeatur, exitum funestum posse utplurimum arceri, quinimmo, haemorrhagiam hanc haud raro esse crisin salutarem, rarissimeque tantas organorum degenerationes, quantis mederi non valeamus, secum habere persuasum mihi est.

§. 18. *Methodus medendi.*

In morbi descriptione, vitiorum, quae eruptionem semper antecedunt, organicorum lentam evolutionem ostendi. Facile igitur patet, quod, si jam initio et adolescente adhuc morbo idonea remedia adhiberentur, de funestis organorum destructionibus secessuque nigro ipso praecavendis vix dubitandum foret. Ast multi certe sunt aegroti, qui, dummodo negotiis suis fungi valent, lente hoc progrediens malum parvi pendunt; plures etiam, qui vitam gerentes eruptioni morbi promovendae aptissimam, semel vel bis consulendo medicum, sat credant fecisse. Interdum in medicos ipsos culpam transferre debemus, qui non magni momenti hujusmodi aegritudines abdominis aestiment, aliquot guttas antispasmodicas ad dolores leniendas

praescribant, itaque patientem serius in morbum nigrum ruentem, non bene curent.

§. 19.

Brevibus nunc therapiae hujus mali adumbrandae methodum *prophylacticam* praemittam, regulasve ad morbum praeçavendum vel in germine supprimendum denotabo. Omnibus signis accurate perpensis, inprimis medicus animum attendat ad tensionis in sinistro latere dolorem, quem nominavi mali ominis, nec non ad dolorem circa praecordia prementem, quibus sensationibus rarissime carebunt, qui post menses vel hebdomades morbo atro corripiuntur. Caveat tunc, ne malum pro saburra gastrica, bile, pituita aut atonia sola ex debilitate nervorum habeat, indeque emetica, drastica, excitantia calida, roborantia adstringentia praescribat, quae remedia eruptionem ipsam provocarent. Vasa brevia, mesaraica etc. eo tempore cruore sunt distenta, circulus sanguinis non amplius liber et expeditus, sed stagnatione atque infarctu interceptus, vasorum erethismus justo major, quibus corrigendis tum resolventia lenia, tum pro re nata, ad hyperaesthesiam mitigandam sedantia narcotica, solvendi aliqua vi simul pollentia, sunt opponenda. Pertinent huc maxime: aqua Lauro-Cerasi, extr. Hyoscyami, Natron et Kali acetic., Kali tartaric., extr. Taraxac., Saponariae, Graminis, Chelidonii maj., eorumque decoctiones, sicut etiam apozemata ex Lapatho acuto, Sarsaparilla etc. parata, atque, si infarctus simul adsunt, clysteres viscerales, nec non aquae minerales resolventes.

Lente ac perseveranter, sicut morbus oritur, ita medicus procedat in tractatione, atque post hebdomades vel menses fausto gaudebit eventu. Post sensus dolorificos et extendentes subter latere pacatos et functiones reproductivas magis in ordinem redactas sensim ad resolventia fortiora, antimonialia, gummata ferulacea, deinceps ad amara et roborantia transgrediatur.

Nutrimenta sint levia concoctu; legumina, nimis acria, salsa, et spirituosa in victu vitentur; itemque crapula venereque nimio, et omnibus, quantum fieri potest, nimiis corporis animique commotionibus et fatigationibus abstinendum. Saepius his remediis, medico atque aegroto perseveranter iis utentibus, etiamsi organica destructio jam inceperit, vitia feliciter tolluntur.

§. 20.

Sin autem ad praecavendum morbum idonea remedia neglecta fuere, morbusque jamjam efformatus fuerit, therapiam ipsam morbi provectioris sequenti modo instituere vel saltim experiri conveniet.

Ab *Hippocratis* ad nostra usque tempora medici fere omnes, ut quamplurimis in casibus post paroxysmum laxantibus lenibus et oleosis, una cum clysteribus emollientibus, curam instituamus, suadent, quum hoc modo sanguis niger atque alia humida excernantur, quae alioquin in ventriculo atque intestinis inclusa et putrescentia, corrumpendo virium temperiem, maxime periclitarentur vitam. Methodo igitur eadem frater meus usus est in homine morbo nigro correpto, (observ. 4) qui quinto morbi die, repetente saepius per os et

per alvum materiae nigrae ejectione, viribus exhaustis exspiravit. Commutavit itaque medendi viam cum alia, qua quinque morbo nigro laborantes feliciter sanati sunt, et quam nunc breviter indigitabo.

Paroxysmo, quo perdurante medicus multum agere nequit, superato aeger sumat tincturae Cinnamomi et mixturae sulphurico acid. singulis horis vel alternis parvas doses, quibus utplurimum, quia spasmi nunquam fere desunt, aqua Lauro-Cerasi jungitur. Animi et corporis quietem servet perfectissimam; nihil cibi solidi graviorisque edat, nec bibat nisi potus demulcentes et lenientes, aquam saccharatam et hordeatam, decocta avenae excorticatae, hordei perlati, oryzae, granorum sago, infus. flor. Chamom, summit. Millefol. atque similia.

Omnia haec sumenda sint vel frigida vel tepida, non calida. Primis viginti quatuor horis laxa alvi excretio saepe sequitur, qua atra etiam materia simul excernitur; si alvi obstructio adest, clyster emolliens ex fl. Chamom., lacte, cum sale culinari pauco et oleo paratum applicetur. Continuentur hic modus procedendi per duos aut tres dies, quibus sine vomitu cruento praeteritis, lenia tum primum adhibeantur laxantia, quales sunt Kali tartaricum, electuarii e Sennae parvae doses cum infusione millefolii, chamom., decocto graminis et simil. Enemata semel in die debent repeti, donec in stercoribus materia nigra non amplius existat.

Tunc medicus curam impendat, ut secundum varios debilitatis gradus et secundum locales abdominis

passiones agat. Saepe opus erit, ut infarctus solvantur, et nimiae adhuc organorum abdominis sensibilitati atque imbecillitati occuratur. Ad hunc finem conveniunt emulsio sem. hyoscyami et papav. alb. cum lenibus resolventibus aut adstringentibus; externe liniment. ammoniatum, aut liniment. saponat. camphorat., unguent. hydrarg. ciner., spir Angelic. comp. et alia.

Nunc etiam tempus idoneum adest, causas morbi et destructiones organorum, quantum fieri potest, remediis idoneis aut corrigendi aut funditus tollendi. Respiciat medicus pulsum, linguam, abdomen an molle vel tensum, an dolens nec ne, excrementorum quantitatem et qualitatem, vires etc., atque pro vario rerum statu varias eligat medendi, vias quales quisque in quovis bono therapiae thesauro legere poterit et quas, quum magna ex parte congruens esse debeat haec methodus cum prodromorum methodo adhibenda curativa, supra explicata, hic fusius describere opus non est.

§. 21.

Ego quidem bis tantum, frater meus autem quinquies hac methodo, qui morbo nigro laboraverant, cum successu curatos vidit, ut post morbum superatum aegritudinibus, quibus ante vexati erant, fere omnibus liberi essent, meliorique, quam per multos annos antecedentes, valetudine gauderent. Successus quidem documento est, quae medendi via sit optima. Medicum tamen rationalem decet, causas evolvere et physiologicas, pathologicas ac therapeuticas, quibus cognitis successus nitatur faustus. Diligenter itaque versatus

sum in morbi indole et natura cognoscenda, ut methodus medendi ratiociniis etiam stabiliretur. Aetiologia docet, morbum lente exoriri a vitiis dynamicis, quibuscum sensim conjungatur organorum destructio, melaenamqne ipsam denique produci ab organorum hac metamorphosi et destructione.

§. 22.

Organa degenerata, sanguis in vasis stagnans, corruptus, vique sua vitali orbatus, vires reproductivae per annos alienatae ac depressae non solum, sed etiam totus corporis habitus, omnia morbi orientis, crescentis atque erumpentis symptomata, nonne haec omnia vires summe exhaustas indicant? Nonne porro in cadaveribus partes internae pallidae, vasaque sanguifera, vena cava etc. sicut in aliis haemorrhagia defunctis, sanguine destituta inventa sunt? In melaena, quae unanimi autorum sententia, haemorrhagiarum omnium periculosissima est, annon indicatio vitalis debet esse prima? An hoc in casu oleis et laxantibus vasa iam relaxata et patentia ad coposiorem sanguinis fluxum faciliores reddi debeant, usque dum cum sanguine vita exierit? Quo alio modo cachexiam hanc cum sanguinis profluvio debemus respicere, quam tamquam asthenicam, saepiusque paralyticam? Indicatione vitali post aliquot dies absoluta, tum demum variarum morbi causarum ex ratione alvum evacuare et vasa debilitare nobis licet in hominibus alias fortioribus, ut ita radicitus morbum ex corpore evellamus, sanitatemque restituamus.

CURRICULUM VITAE.

Ego Daniel Vorländer *Montanus (ex pago Röttgen prope Homburg), natus anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono, parentibus* Henrico Vorländer *et* Wilhelmina *ex gente* Hengstenberg; *a teneris usque ad annum decimum quartum praeceptoris domestici institutione in lingua gallica, germanica, mathesi elementari, historia et geographia gavisus sum. Mercaturae destinatus linguis recentionibus praecipue operam dedi, latinum sermonem prope negligens, quippe qui minus utilis mihi videbatur. Illo autem aetatis anno propositum istud relinquens pharmaciae studium aggressurus Consiliarii aulae Doctoris* Vogler *Hachenburgii officinam pharmaceuticam adii. Ubi nil impediebat, quominus a Collaboratore* Diesterwegio *in lingua latina et graeca privatim instruerer, et omni, qua fieri poterat, opera chemica et botanica mihi traderetur. Per tres annos et dimid. in officina ista labores pharmaceuticos peregi.*

Quo perfectiorem me redderem in praxi pharmaceutica, aliam deinde officinam, et quidem illam Praenob. Korte, *viri eruditissimi, Solingae, petii.*

Praeterlapso autem anno in academiam, quae Marburgi floret, me contuli. Ibi in civium academicorum numerum relatus et albo medico Prorectore Ferd. Wurzer die VI. *Novembris CIMDCCCXVI. adscriptus, varias, ad medicinae studium praeparandi causa praelectiones, eo, quo par est, studio frequentavi, Prof. cl. nimirum Gundlak de mathesi elementari; cl. Munke de physica experimentali et astronomia physica; cl. Ullmann de mineralogia, cl. Wurzer de chemia experimentali, nec non cl. Wenderoth illas de botanica tam generali quam medica cum excursionibus conjunctas.*

Postquam hic per annum et dimidium scientiis illis operam navaveram, domum me retuli, militiae nomen dedi, et officiis militaribus per annum integrum tum functus, medicinae iterum incumbendi consilium cepi. Hunc ad finem primo ad linguae latinae studium regressus sum, illique per annum vacavi. Deinde almam Universitatem Boruss. Rhenanam petii. Cel. Augusti Rectore numero civium academicorum adscriptus sum, et apud Celeb. Harlefs, t. t. ordinis artis salutiferae Decanum in album medicinae studiosorum receptus.

In hac Academia per quinque semestria jam commoratus, sequentes praelectiones omni qua fieri poterat opera audivi:

Prof. cl. van Calker de logica; cl. Goldfusii de historia naturali non solum generali sed etiam speciali; cl. Windischmann de psychologia: prae-

lectiones experientissimi Dris. Weber de osteologia et sydesmologia, de arte cadavera secandi, de neurologia et splanchnologia, illius porro repetitorium anatomiae corporis humani; Prof. cl. Mayer praelectiones de anatomia speciali, de physiologia foetns humani et hominis nati. Pathologiam generalem cum semiotice, therapiam generalem, materiam medicam cum therapia generali conjunctam Cel. Harlefs me docuit; therapiae specialis docens mihi fuit cl. Nasse, cujus et praelectionibus de psychica organorum dignitate interfui. Chirurgiam, ophthalmiatricen, doctrinam de operationibus, instrumentis ac deligationibus chirurgicis mihi tradidit Cel. a Walther, cujus etiam cursui operationum chirurgicarum adfui. Artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam, et repetitorium atque examinatorium de hac scientia mihi exposuit cl. Stein; medicinam forensem cl. Bischoff. Insuper exercitationibus clinicis me tradidi illisque in clinico medico per unum semestre auscultando, et duce cl. Nasse per duo semestria curationi aegrotorum operam dedi; in clinico chirurgico per semestre auscultando, per duo semestria duce Cel. a Walther praxin chirurgicam exercendo; in xenodochio porro obstetricio per [illegible]um integrum duce cl. Stein practicando vacavi.

Quibus omnibus et singulis praeceptoribus pie venerandis maximas, quas possum, ago gratias, easque in sempiternum habebo.

Curriculo studiorum absoluto reliquum nunc es ut ad summos in Medicina honores rite capessendo ab Illustri Ordine Medicorum in Alma Regia Borus Rhenana nunc ea, qua par est, observantia petam, admittere Is me velit ad examen rigorosum pı gradu Doctoris subeundum, et ad reliqua, quae mi ad hunc finem incumbunt, praestanda.

THESES.

1. Crebra venaesectio ad plethoram disponit.
2. Differentia vulgari usu recepta inter pleur tidem et peripneumoniam locum non habet.
3. Nullum remedium specificum jure sic dictu
4. Synchondrotomia nunquam est suscipienda.
5. Sphacelus vix amputationem admittit.
6. Keratonyxis extractioni cataractae praeferen est.
7. Circumcisio panni locum non habet.
8. Amputatio ex tempore facta praestantissimu in vulneribus ossa frangentibus auxilium es